FRANCKESCHE
STIFTUNGEN

# Alte Drucke

## De imitatione christi ||

### Thomas <a Kempis>

### Parisij, 1515

Incipit liber secundus de interna conuersatione.

**Nutzungsbedingungen**
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

**Terms of use**
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downladed and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

**urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150463**

Visual Library

rem: inuenies magnam pacem ⁊ ſẽties leuiorem laborem propter dei gratiam ⁊ virtutis amorez. Homo feruidus ⁊ diligens ad omnia eſt paratus. Maior labor eſt reſiſtere vicijs et paſſionibus/ q̄ corporalibus inſudare laboribus. Qui paruos non vitat defectus paulatim labitur ad maiores. Gaudebis ſemper veſpere ſi diem expendas fructuoſe. Vigilia ſuper teipſum excita teipſum/ admone teipſuz ⁊ quicquid de alijs ſit non negligas teipſum. Tantum proficies quantum tibi ipſi vim intuleris.

¶ Explicit liber prim⁹.

¶ Incipit liber ſecundus de interna conuerſatione.

Capitulum primum.

Regnum dei intra vos eſt dicit dñs. Conuerte te ex toto corde tuo ad dominũ et relinque hunc miſerum mundum et inueniſſet anima tua requiẽ. Diſce exteriora contemnere et ad interiora te dare/ ⁊ videbis regnum dei in te venire. Eſt enim regnũ dei pax et gaudium in ſpiritu ſancto quod non datur impijs. Ueniet ad te chriſtus oſtendens tibi conſolationẽ ſuam ſi dignã illi abintus paraueris mãſionem. Omnis gloria eius et decor abintra eſt et ibi complet ſibi. Frequens illi viſitatio cum homine interno/ dulcis ſermocinatio/ gratia/ conſolatio/ multa pax/ familiaritas ſtupẽda nimis. Eya anima fidelis prepara huic ſponſo cor tuũ quaten⁹ ad te venire et in te hitare dignetur. Sic eĩ dicit. Si quis diligit me ſermonem meũ ſeruabit et ad eum veniem⁹ et manſionem apud eum faciemus. Da ergo chriſto locum ⁊ ceteris oĩbus nega introitũ. Cum xp̄m ha

buerıs:diues es ⁊ ſufficit tibi. Ipſe erit ꝓuiſor tuꝰ
⁊ fidelis procurator in oibꝰ vt nō ſit opus tibi in ho
minibꝰ ſperare: Homines enī cito mutātur et defi-
ciunt velociter/chriſtus aūt manet ieternū et aſtat
vſq; in finem firmiter. Non eſt magna fiducia ponē
da in homine fragili ⁊ mortali: etiam ſi vtilis ſit et
dilectꝰ neq; triſticia multa capienda: ex hoc ſi iter
dum aduerſetur ⁊ contradicat. Qui hodie tecū ſūt
cras ꝯtrariari poſſunt et ecōuerſo ſepe vt aura ver
tuntur. Pone totam fiduciā tuam in dn̄o et ſit ipſe
timor tuus ⁊ amor tuus. Ipſe ꝓ te reſpōdebit et fa
ciet bene ſicut meliꝰ fuerit. Non habes hic manen-
tem ciuitatē: et vbicūq; fueris extraneus es et pe-
regrinus: nec requiem aliquando habebis: niſi chri
ſto intime fueris vnitus. Quid hic circūſpicis cū
iſte non ſit locus tue requiſitionis? In celeſtibꝰ de
bet eſſe habitatio tua: et ſicut in tranſitu cuncta ter
rena ſunt aſpicienda. tranſeant oīa et tu cum eis
pariter: Vide vt nō īhereas ne capiaris et pereas
Apud altiſſimū ſit cogitatio tua et deprecatio tua
ad chriſtū ſine intermiſſione dirigat. Si neſcis alta
ſpeculari et celeſtia requieſce in paſſione xp̄i: et in
ſacris vulneribus eius libenter habita. Si enim ad
vulnera et precioſa ſtigmata ieſu deuote confugis
magnum in tribulatione confortationē ſenties nec
multum curabis hoīm deſpectiones faciliterq; ver
ba detrahētium ꝑferes. Chriſtꝰ fuit etiam in mūdo
ab hominibus deſpectus et in maxima neceſſitate
a notis et amicis inter opprobria derelictus. Chri
ſtus pati voluit et deſpici et tu audes de alquo con
queri. Chriſtꝰ habuit aduerſarios ⁊ oblocutores et

tu vis omnes habere amicos et beneſactores. Uñ
coronabitur patientia tua ſi nil aduerſitatis occur-
rerit. Si nihil contrarium vis pati: quomodo eris
amicus chriſti. Suſtine te cum chriſto ⁊ pro chriſto
ſi vis regnare cuʒ chriſto. Si ſemel perfecte introiſ
ſes in interiora ieſu modicum de ardente eius amo
re ſapuiſſes tunc de proprio cõmodo vel incõmodo
nihil curares: ſed magis de opprobrio illato gaude
res quia amor ieſu facit hominem ſeipm̃ cõtennere
Amor ieſu ⁊ verus internus ⁊ liber ab affectionibꝰ
inordinatis poteſt ſe ad deũ libere conuertere ⁊ ele
uare ſe ſupra ſeipſum in ſpiritu ac fruitiue quieſcere
Cui ſapiũt oĩa prout ſunt nõ vt, dicuntur aut eſt ima͂
tur: hic vere ſapiens eſt et doctꝰ magis a deo ꝙ̄ ab
hominibus. Qui ab intra ſcit ambulare ⁊ modicuʒ
res ab extra pondedare non requirit loca: nec tẽpo
ra expectat ad habẽda deuota exercitia. Hõ inter
nus cito ſe recolligit quia nunꝙ̄ ſe totum ad extrio
ra effundit. Non illi obeſt labor exterior aut occu-
patio ad tempus neceſſaria ſʒ ſicut res eueniunt ſic
ſe illis acommodat. Qui intus bene diſpoſitus eſt
et ordinatus: non curat mirabiles ⁊ peruerſo homi-
uum geſtus. Tantum homo impeditur et diſtrahit᷑
quantuʒ ſibi res attrahit. Si recte tibi eſſet et bene
purgatus eſſes: omnia tibi in bonũ cederent ⁊ ꝑfe-
ctum. Ideo multa tibi diſplicent et ſepe conturbãt
quia adhuc nõ es tibiipſi ꝑfecte mortuus nec ſegre
gatus ab omnibus terrenis nihil ſic maculat et im
plicat cor hominis: ſicut impurꝰ amor in creaturis
Si renuis conſolari exterius: poteris ſpeculari cele
ſtia: et frequenter interius iubilare.

¶ De hūili ſubmiſſiōe ſub p̄lati regimine. Cp̄m. ij.

NOn magnipēdas quis pro te vel contra te ſit
ſed hoc age et cura vt deus tecum ſit in omni
re quam facis. Habeas conſcientiam bonam: ⁊ de⁹
bene te defenſabit. Quem enim adiuuare voluerit
nullius ꝑuerſitas nocere poterit. Si tu ſis tacere et
pati videbis ꝓculdubio dn̄i auxiliū. Ipſe nouit tp̄s
et modum liberandi te: et ideo debes te illi reſigna=
re. Dei eſt adiuuare et ab omni confuſſione liberare
Sepe valde prodeſt ad maiorem hūilitatem conſer
uandam: q̄ defect⁹ noſtros alij ſciunt et redarguūt
Quando homo pro defectib⁹ ſuis ſe humiliat tūc
faciliter alios placat: ⁊ leuitr ſatiſfacit ſibi iraſcen=
tibus. Humilem deus protegit et liberat: humilem
diligit ⁊ conſolatur. humili homini ſe inclinat humi
li largitur gratiam magnam: et poſt ſuam depreſſio
nem leua ad gl'iam. humili ſua ſecreta reuelat. et ad
ſe dulciter trahit et inuitat. Humilis accepta cōtu
melia ⁊ confuſſione: ſatis bene eſt in pace: qꝛ ſtat in
deo ⁊ non in mundo. Non reputes te aliq̇d ꝓfeciſſe
in ſe omnib⁹ inferiorem te eſſe ſentias.

¶ De bono pacifico homine. Cp̄m. iij.

TEne te primo in pace: et tūc alios poteris pa=
cificare. Homo pacificus plus ꝓdeſt quaꝫ bn̄
doct⁹. Homo paſſionatus etiam bonum in malum
trahit et faciliter malum credit. Bonus pacific⁹ ho
mo omnia ad bonū conuertit. Qui bene in pace eſt
de nullo ſuſpicatur qui autem male content⁹ eſt: et
commotus varijs ſuſpitionibus agitatur: nec ipſe
quieſcit. nec alios quiſcere permittit. Dicit ſepe qđ
dicere non deberet: et omittit quod ſepe ſibi magis

facere expediret. Conſiderat quod alij facere tenetur/ ⁊ negligit quod ipſe facere tenet. Habe ergo primū zelum ſup temetipſū. tunc zelare poteris etiam iuſte proximum tuū. Tu benefacta tua ſcis excuſare et tolerare/ ⁊ aliorū nō vis recipere excuſatiōes Juſtus eſſes vt te accuſares ⁊ fratrem tuum excuſares. Si portari vis porta ⁊ alium. Uide q̄ longe es adhuc a vera caritate ⁊ humilitate que nulli nouit indignari vel iraſci niſi tantum ſibi ipſi. Non eſt magnum cum bonis ⁊ manſuetis conuerſari hoc enim omnibus naturaliter placet/ ⁊ vnuſquiſq; libenter pacem habet/ ⁊ ſecum ſentiens magis diligit. Sed cum duris ⁊ peruerſis aut indiſciplinis aut nobis contrariantibus pacifice poſſe viuere/ magna gratia eſt et laudabile nimis virileq; factum. Sed ſūt qui ſeipſos in pace tenent et cum alijs etiam pacem habent. Et ſunt qui nec pacem habent nec alios in pace dimittunt. Alij ſunt graues/ ſed ſibi ſunt ſemp grauiores. Et ſunt qui ſeipſos in pace retinent et ad pacem alios reducere ſtudent/ ⁊ tamen tota pax noſtra in hac miſera vita potius in humili ſufferentia ponenda eſt q̄ in non ſentiendo contraria. Qui melius ſcit pati/ pacem tenebit maiorem. Iſte eſt victor ſui et dominus mūdi/ amicus chriſti ⁊ heres celi.

¶ De pura mēte ⁊ ſimplici itentione. Cp̄m. iiij

Duabus alis hō ſubleuat a terrēis/ ſimplicitate ſcilicet ⁊ puritate. Simplicitas debet eſſe in intentione puritas in affectione. Simplicitas intēdit deū puritas apprehēdit et guſtat. Nulla bona actio te īpediet/ ſi liber int⁹ ab oī inordinato affectu

fueris. Si nihil aliud q̄ beneplacitum et proximi vtilitatez intendis:et queris: interna libertate frue ris. Si rectum cor tuum eſſet tunc omnis creatura ſpeculum vite ⁊ liber ſancte doctrine eſſet. Non eſt creatura tam parua et vilis que bonitatem dei non repreſentet. Si tu eſſes intus bonus et purus tunc omnia ſine impedimento videres et caperes bene. Cor purum penetrat celum ⁊ infernū. Qualis vnuſ quiſq̧ intus eſt taliter iudicat exterius. Si eſt gau= dium in mundo hoc vtiq̧ poſſidet puri cordis homo Et ſi eſt alicubi tribulatio ⁊ āguſtia hoc meli⁹ nouit mala cōſcientia. Sicut ferrū miſſum in ignē amittit rubiginez ⁊ totū candens efficitur:ſic homo ad deū ſe integre conuertens a corpore exuitur ⁊ in nouum hominum rranſmutatur. Quādo homo incipit tepe ſcere tunc parū metuit amorem:et libenter externā accipit conſolationē. Sed quando perfecte incipit ſe vincere et viriliter in via dei ambulare :tunc mi= nus ea reputat. que ſibi prius grauia eſſe ſentiebat.

¶ De propia conſideratione. Cpm. v.

Non poſſumus nobiſipſis nimis credere : quia ſepe nobis gratia deeſt et ſenſus modicuz lu= men eſt in nobis:et hoc cito per negligentiam amit timus. Sepe etiam non aduertimus q̧ tam ceci in= tus ſumus. Sepe male agimus et peius excuſam⁹ et paſſione interdum mouemur et zelum putamus. Parua in aliis reprehendimus: ⁊ noſtra maior per tranſimus. Satis cito ſentimus ⁊ ponderamus qđ ab aliis ſuſtinemus:ſed quantū alii a nobis ſuſtinēt non aduertim⁹ Qui bene ⁊ recte ſua ponderaret nō eſſet quod de alio grauiter iudicaret. Internus hō

ſui ipſius curam oībus curis anteponit: ⁊ qui ſibiipſi diligenter intendit: faciliter de aliijs tacet. Nunq̃ eris internus et deuotus niſi de alienis ſilueris: et ad teipſū ſpecialiter reſpexeris. Si tibi et deo totaliter intendis: modicum te mouebit quod foris percipis. Ubi es quando tibiipſi pñs non es: ⁊ qñ oīa percurriſti/quid te neglecto profeciſti? Si debes habere pacem ⁊ vnionem veram: opꝫ ꝙ totum adhuc poſtponas et te ſolum pre oculis habeas. Multum proinde proficies ſi te feriatum ab omni tꝑorali cura conſerues. Ualde deficiēs ſi aliquid tꝑale reputaueris. Nil altum/nil magnū/nil gratum/nil acceptum tibi ſit niſi pure deus aut de deo ſit. Totū vanū eſtima quicquid conſolationis occurrit de aliqua creatura. Amans deum/aīam ſub deo: deſpicit vniuerſa Solus deus eternus et immenſus implens omnia: ſolatium eſt anime ⁊ vera cordis leticia.

¶ De leticia bone conſcientie. Capitulum vi.

Gloria boni hominis teſtimonium bone conſcientie eſt. Habe bonā cōſcientiam ⁊ ſēper habebis leticiam. Bona conſcientia valde multa poteſt portare: ⁊ valde leta eſt inter aduerſa. Mala conſcientia ſemper timida eſt ⁊ inquieta. Suauiter requieſces: ſi te cor tuum non reprehenderit. Noli letari niſi cū bene feceris. Mali nunq̃ habēt verā leticiam nec internā ſentiūt pacem quia non eſt pax impijs dicit dominꝰ. Et ſi dixerint in pace ſumꝰ nō venient ſupet nos mala ⁊ quis nobis nocere audebit. Et credas eis: quoniā repēte exurget et ira dei et ī nichilū redigent̄ actꝰ eoꝝ: ⁊ cogitationes eorū peribūt. Gloriari in tribulatione nō eſt graue amā-

ti/ſic enim gloriari eſt in cruce domini gloriari Bre
uis gloria que ab hominibus dat̃ ⁊ accipitur. Mũ=
di gl'iam ſemp̄ comitatur triſticia. Bonoruꝫ gloria
in ↄſcientiis eorum et non in ore hoim̃. Juſtoꝝ leti
cia de deo ⁊ in deo eſt/et gaudium eorũ de veritate
Qui veraꝫ ⁊ eternam gl'iam deſiderat temporalem
non curat. Et qui tẽporaleꝫ querit gloriam/aut nõ
ex animo contemnit/minus amare conuincit cele=
ſtem. Magnam habet cordis trãquillitateꝫ/qui nec
laudes curat nec vituperia. Facile erit contentus ⁊
paratus cuius ↄſcientia munda eſt. Non es ſanctior
ſi lauderis nec vilior ſi vitupereris. Quod es hoc es
nec maior dici vales q̃ deo teſte ſis. Si attendis qd̄
apud te ſis intus nõ curabis quid de te loquantur
homines foris. Homo videt in facie: deus auteꝫ in
corde. homo conſiderat actus/deus penſat intentio
nes. Bene ſp̄ agere et modicuꝫ de ſe tenere humilis
aĩe iudicium eſt. Nolle cõſolari ab aliqua creatura
magne puritatis et interne fiducie iudiciũ eſt. Qui
nullum extrinſecus ꝓ ſe teſtimoniũ querit liquet q̃
ſe deo totaliter cõmiſit. Non eñ qui ſeipſum ↄmen=
dat ille ꝓbatus eſt ait btũs Paulus/ſed quẽ deus
cõmẽdat. Ambulare cum deo intus nec aliqua affe
ctione teneri foris/ſtatus eſt interni hominis.

¶ De amore ieſu ſuper omnia. Capitulum. vij.

Beatus qui intelligit quid ſit amare ieſum/et
contẽnere ſeipſum propter ieſum. Oportet di=
lectum pro dilecto relinquere/quia ieſus vult ſolus
ſuper omnia amari. Dilectio creature fallax ⁊ inſta=
bilis: dilectio ieſu fidelis ⁊ pſeuerabilis. Qui adhe=
ret creature cadet cum labili/qui amplectitur ieſuꝫ

firmabitur in eum. Illum dilige et amicum tene tibi/qui omnibus recedentib⁹ te non derelinquet nec patitur in fine perire. Ab hominibus oportet te aliquãdo ſeparari ſiue velis ſiue nolis. Teneas te apd̃ ieſum viuens et moriens ⁊ illius fidelitati te committe qui omnibus deficientibus ſolus poteſt te iuuare. Dilectus tuus talis eſt nature vt alienum nõ velit admittere ſed ſol⁹ vult cor tuũ habere ⁊ tãquã rex in ꝓprio throno ſedere. Si ſcires te bene ab omni creatura euacuare ieſus deberet libenter tecũ habitare. Pene totum perditu ʒ inuenies quicquid extra ieſum in omnibus poſueris. Non confidas nec innitaris ſuper calamum ventoſum qui omnis caro fenum et omnis gloria eius vt flos feni cadet. Cito decipieris ſi ad externam hominum apparentiã tantum aſpexeris. Si enim tuuʒ in aliis queris ſolatium et lucrum/ſenties ſepe detrimẽtum. Si queris in omnibus ieſum inuenies vtiqꝫ ieſum. Si autem queris teipſum inuenies teipſum ſed ad tuam perniciem. Plus eñ homo nociuior ſibi ſi ieſum nõ querit ꝙ totus mundus et omnes ſui aduerſarij.

¶ De familiari amicitia ieſu. Capm. viij.

Quando ieſus adeſt totuʒ bonuʒ eſt nec quicꝗ̃ difficile videtur. Quando vero ieſus nõ adeſt totum durum eſt. Quando ieſus intus non loquitur conſolatio vilis eſt. Si autem ieſus vnum verbum loquitur tantum/magna conſolatio ſentitur. Nonne maria magdalena ſtatim ſurrexit de loco i quo fleuit quando martha illi dixit. Magiſter adeſt et vocat te. Felix hora quando ieſus vocat de lacrimis ad gaudiũ ſpũs ꝗ̃ aridus et durus es ſine ieſu

q̄ inſipiens et vanus ſi cupis aliquid extra ieſum
Nonne hoc eſt maius damnum q̄ ſi totū perderes
mundum Quid poteſt mundus conferre ſine ieſu.
eſſe ſine ieſu grauis eſt infernus: ⁊ eſſe cum ieſu dul
cis paradiſus. Si fuerit tecuꝫ ieſus nullus poterit
nocere inimicus. Qui inuenit ieſum inuenit theſau
rum bonū: immo bonū ſuper oē bonuꝫ. Et q̄ perdit
ieſum perdit nimis multum ⁊ plus q̄ totū mūdum
Pauperrim⁹ eſt qui viuit ſine ieſu. Ditiſſimus qui
bene eſt cū ieſu. Magna ars eſt ſcire conuerſari cuꝫ
ieſu ⁊ ſcire ieſuꝫ tenere magna prudētia. Eſto humi
lis et pacificus erit ⁊ tecū ieſus. Sis deuot⁹ ⁊ quie
tus ⁊ permanebit tecum ieſus. Potes cito fugare
ieſum ⁊ grām eius perdere ſi volueris ad exteriora
declinare Et ſi illū effugaueris ⁊ pdideris ad queꝫ
tunc fugies: ⁊ quē tunc queres amicū Sine amico
non potes diu viuere: et ſi ieſus nō fuerit tibi pre oī
bus amicus: eris nimis triſtis ⁊ deſolat⁹ Fatue igi
tur agis ſi in aliquo altero confidis ⁊ letaris. Eligē
dum eſt mag s totum mundum habere contrariuꝫ
q̄ ieſum offenſum Ex omnibus ergo caris ſit ieſus
dilectus ſpecialis. Diligātur oēs ꝓpter ieſuꝫ ieſus
autem propter ſeipſum. Solus ieſus chriſtus ſingu
lariter eſt amandus: qui ſolus bonus ⁊ fidelis inue-
nitur pro oībus amicis. Propter ipſuꝫ et in ipſo tā
amici q̄ inimici tibi ſint cari et pre oībus his orā
dus eſt vt oēs ipſum cognoſcant ⁊ diligant. Nunq̄
cupias ſingulariter laudari et amari: quia hoc ſoli⁹
dei eſt qui ſimilem ſibi non hꝫ. Nec velis ꝙ aliquis
in corde tuo tecum occupetur: neqꝫ tu cum alicuius
occuperis amore ſed ſit. Jeſus in te et ī omni bono

homine. Eſto purus et liber ab initus ſine alicuius creature implicamēto. Opz etiā mūdū et parū cor ad ieſum gerere ſi vis vocari et. videre q̄z ſuauis ē dominus. Et reuera ad hoc non peruenies niſi gratia eius fueris preuentus et intractus: vt omnibus euacuatis et licentiatis ſolus cū deo vniaris. Quādo enim gratia dei venit ad hominem: tunc potens ſit ad omnia et qū recedit tunc pauper et infirmus erit et quaſi tantum ad flagella relictus. In his nō debes detici nec deſperare ſed ad volūtatē dei equanimiter ſtare et cuncta ſuperuenientia tibi ad laudē ieſu xp̄i perpeti: q2 poſt hyemem ſequitur eſtas poſt noctē redit dies/et poſt tēpeſtatē ſerenitas magna

De carentia omnis ſolatij. Cp̄m. ix.

NOn eſt graue humanum contēnere ſolatium cum adeſt diuinum. Magnum eſt et valde magnum tam humano q̄ꝫ diuino poſſe carere ſolatio et pro honore dei libenter exilium cordis velle ſuſtinere et in nullo ſeipſum querere nec ad propriū meritum reſpice. Quid magni es ſi hylaris ſis et deuotus aduenīente gratia optabilis cūctis hec hora Satis ſuauiter equitat quē gr̄a dei portat. Et quid mirū ſi onus non ſentit qui portatur ab oīpotente ꝛ ducitur a ſummo ductore Libenter habem9 aliquid pro ſolatio ꝛ difficulter homo exuit a ſeipſo. Vicit ſanct9 martyr Laurentius ſeculū cū ſuo ſacerdote: q2 oē quod in mūdo delectabile videbatur deſpexit et dei ſummi ſacerdotē Sixtum quem maxime diligebat p amore xp̄i ēt a ſe extolli clemēter ferebat Amore igitur creatoris amorem homis ſuperauit et p humano ſolatio diuinum bn̄placitū magis eleſ

git. Ita ⁊ tu aliquē neceſſarium ⁊ dilectū amicū ꝓ amore dei diſce relinquere. Nec grauiter feras cum ab amico derelictus fueris ſciens quoniam oportet nos om̄es tandē abinuicem ſeparari. Multū ⁊ diu oportet hoīem in ſeipſo certare anteq̄ȝ dicat ſeipſū plene ſuperare/et totū affectū ſuū plene in deū trahere. Qn̄ homo ſtat ſuper ſeipſo/facile labitur ad cō ſolationes humanas. Sed verus xp̄i amator et ſtudioſus ſectator virtutū non cadit ſuper illas conſolationes nec querit tales ſenſibiles dulcedines/ſed magis fortes exercitatiōes et pro chriſto duros ſuſtinere labores. Cui igitur ſpūalis conſolatio a deo datur cum gratiarū actione accipe eam ſȝ dei mun⁹ intellige eſſe non tuum meritum/⁊ noli extolli. Noli nimiū gaudere nec inaniter p̄ſumere/ſed eſto magis hūilior ex dono/ cautior quoq̄ȝ et timoratior in cunctis actib⁹ tuis qm̄ tranſibit hora illa et ſeq̄tur tētatio. Cū ablata fuerit conſolatio nō ſtatim deſperes ſed cuȝ humilitate ⁊ patientia expecta celeſtem viſitationem: q2 potens eſt deus ampliorem tibi redonare grām et conſolationem. Iſtud non eſt nouū nec alienū viā dei exptis q2 ī magnis ſanctis ⁊ antiquis ꝓphetis fuit talis ſepe alternationis modus. Und qeuidam preſente iam gratia dicebat. Ego dixi in abundantia mea non mouebor ineternum. Abſente autem gratia quid in ſe expertus adiungit dicens. Auertiſti faciem tuam a me ⁊ factus ſum cōturbat⁹. Inter hec tn̄ nequaq̄ȝ deſperat ſȝ inſtātius dn̄m rogat et dicit. Ad te domine clamabo et ad deū meum deprecabor. Deniq̄ȝ orōnis ſue fructū reportat et ſe exauditum teſtatur dicens. Audiuit domi-

nus et miſertus eſt mei dominus factus eſt adiutor meus. Sed in quo? Conuertiſti inquit planctū meū in gaudium mihi et circundediſti me leticia. Et ſi ſic actum eſt cum magnis ſanctis non eſt diſperandum nobis infirmis ⁊ pauperib⁹ ſi interdum in frigiditate/et interdū in feruore ſumus qm̄ ſpiritus venit et recedit/ſecundum ſue voluntatis beneplacitū. Unde beatus. Iob ait. Uiſitas eum diluculo et ſubito probas illum. Super qd igitur ſpare poſſum aut in quo confidere debeo niſi in ſola magna mia dei ⁊ in ſola ſpe gratie celeſtis. Siue enim aſſint homines boni ſiue deuoti fratres amici fideles ſiue libri ſancti vel tractatus pulcri ſiue dulces cantus ⁊ hymni oīa hec modicum iuuant ⁊ modicum ſapiunt quando diſertus ſum a gr̄a et in propria paupertate relictus. Tunc nō eſt melius remediū q̄ patientia ⁊ abnegatio mei in voluntate dei nunq̄ inueni aliquem religioſum qui non habuerit interdum gratie ſubtractionem/aut non ſenſerit feruoris diminutionē. Nullus ſanctus fuit vnq̄ tam alter raptus et illuminatus qui prius vel poſtea non fuit tentatus Non enī dignus eſt alta dei cōtēplatione: qui pro deo non eſt exercitatus aliqua tribulatione. Solet enim ſequentis conſolationis tētatio precedens eſſe ſignū. Nā tentationib⁹ pbatis celeſtis pmittit ꝯſolatio. Qui vicerit inqt dabo ei eſſe de ligno vite. Datur etiam conſolatio diuina vt homo fortior ſit ad ſuſtinendū aduerſa. Seqtur etiam tentatio ne ſe eleuet de bono. Non dormit diabolus nec caro adhuc mortua eſt: ⁊ deo non ceſſes preparare te ad certamē quia a dextris ⁊ a ſiniſtris ſunt hoſtes qui nunq̄ quieſcunt

¶ De gratitudine pro gratia dei. Cap.x.

Quid queris quietem cum natus ſis ad laborẽ
Pone te ad patientiam magis q̃z ad conſola-
tionem: ad crucem portandam magis q̃z ad leticiaz
Quis enim ſecularium non libenter conſolationem
et leticiam ſpiritualem acciperet: ſi ſemper obtinere
poſſet. Excedunt eniz ſpũalem cõſolationes oẽs mũ
di delicias: et carnis voluptates. Nam omnes deli
cie mundane: aut turpes ſunt aut vane. Spũales ve
ro delicie ſole iocunde et honeſte ex virtutibus pro
genite et a deo puris infuſe mentib⁹. Sed iſtis diui-
nis conſolationibus nemo ſemp pro ſuo affectu frui
valet. quia tempus tentationis non diu ceſſat. Mul
tum contraritur ſuperne viſitationi falſa libertas ani
mi et magna confidentia ſui. Deus bene facit con-
ſolationis gratiam dando: ſed homo male agit non
totum deo cum gratiarum actione retribuendo. Et
ideo nõ pñt in nobis dona gratie fluere: quia ingra-
ti ſumus auctori: nec totum refundimus fontali ori
gini. Semper enim debetur gratia digne gratias re
ferenti: auferetur ab elato quod dari ſolet humili.
Nolo conſolationem que mihi aufert compunctio
nem nec affecto contemplationẽ que ducit in elatio
nem. Non enim omne altum ſanctum: nec omne de
ſiderium purũ nec omne dulce bonũ: nec omne carũ
gratum deo. Libenter accepto gratiam vnde humi-
lior et timoratior inueniar: atq̃ ad relinquenduz me
paratior fiam. Doctus dono gratie et eruditus ſub-
tractiõis verbere non ſibi audebit quicq̃ boni attri
buere ſed poti⁹ ſe pauperẽ et nudũ ꝯfitebit. Da deo
quicq̃d dei eſt: et tibi aſcribe qd tuuz eſt. hoc eſt deo

gratias pro gratia tribue: tibi autē ſoli culpam: ⁊ dignam penam pro culpa deberi ſenties. Pone te ſemper ad infinitum ⁊ dabitur tibi ſummum. nam ſummum non ſtat ſine infimo. Summi ſancti apud deum minimi ſunt apud ſe: ⁊ quāto glorioſiores tanto in ſe hūiliores pleni veritate ⁊ gloria celeſti nō vane glorie cupidi. In deo fundati et cōfirmati nullo modo poſſunt eſſe elati: et qui deo totū aſcribūt quicqd boni acceperunt gloriam ab inuicem nō querūt: ſed gloriam que a ſolo deo eſt volunt ⁊ deū in ſe ⁊ in omnibus ſanctis laudari ſuper omnia cupiunt: ⁊ ſemꝑ in idipſum tendunt. Eſto igitur gratus in minimo ⁊ eris dignus maiora accipere. Sit tibi minimum etiā pro maximo: et magis contemptibile ꝓ ſpeciali dono. Si dignitas datoris inſpicit: nullum datum paruum aut munꝰ vile videbit. Nō eni paruū eſt quod a ſummo deo donat: etiā ſi penas ⁊ verbera donauerit gratum eſſe debet quia ſemper ꝓ ſalute noſtra facit quicquid nobis aduenire permittit. Qui gratiā dei retinere deſiderat ſit gratus pro gratia dei data patiens pro ſublata: oret vt redeat. cautus ſit et humilis ne amittat.

## De paucitate amatorū crucis ieſu. Cpm. xi.

Habet ieſus nunc multos amatores regni ſui celeſtis: ſꝫ paucos baiulatores ſue crucis. Habet multos deſideratores conſolationis ſed paucos tribulationis. Plures inuenit ſocios menſe ſed paucos abſtinentie. Omnes volunt cum chriſto gaudere: ſed pauci volunt pro ipſo aliquid ſuſtinere. Multi ſequuntur ieſum vſqꝫ ad fractionem panis: ſꝫ pauci ad bibendum calicem paſſionis. Multi miracula

eius venerantur:ſed pauci ignominiã crucis ſequũ-
tur. Multi ieſum diligunt: ꝙdiu aduerſa non contin
gunt. Multi illũ laudant ⁊ benedicunt: ꝙ diu conſo-
lationes aliquas ab ipſo recipiunt. Si autẽ ſe ieſus
abſconderet ⁊ modicũ eos relinqueret: aut in queri-
moniam/aut in dilectionẽ nimiã cadunt. Qui autez
ieſuz ꝓpter ieſum ⁊ nõ ꝓpter ſuã aliquã conſolatio-
nem propriã diligũt ipſum in tribulatione et in angu
ſtia cordis/ſicut in ſumma cõſolatione benedicunt.
Et ſi nunꝙ eis conſolationẽ dare vellet/ipm tamen
ſemper laudarent et ſemper gratias agere vellent.
O ꝙtum poteſt amor ieſu purus nullo ꝓprio cõmo
do vel amore ꝑmixtus. Nõne oẽs mercennarij ſunt
dicendi/qui conſolationes ſemper querunt. Nonne
amatores ſui magis ꝙ xpi perhibent/qui ſuo cõmo
da vel lucra ſemꝑ meditant. Ubi inuenitur talis qui
velit deo ſeruire gratis. Raro inueniã tam ſpiritua-
lis aliquis q̄ oĩbus ſit nudatus. Nã verũ ſpiritu pau
perem ab oĩ creatura nuduz quis inueniet. Procul
et de vltimis finibus preciuz eius. Si dederit homo
oẽm ſubſtantiã ſuaz/adhuc nihil eſt. et ſi fecerit peni-
tentiam magnaz adhuc exiguũ eſt et ſi apprehende
rit oẽm ſcientiã: adhuc longe. et ſi habuerit virtutẽ
magnam et deuotionẽ nimis ardentem adhuc mul-
tum ſibi deeſt. Unum ſcilicet quod ſibi ſumme neceſ
ſarium eſt. Quid illud. Ut omibus relictis ſe relin-
quat et a ſe totaliter exeat: nihilq̃ de priuato amo-
re retineat. Cum omnia fecerit que facienda noue-
rit/nihil ſe feciſſe ſenſiat. Non grande ponderet ꝙ
grandis eſtimari poſſit ſed in veritate ſeruum inuti-
lem ſe pronunciet/ ſicut veritas ait. Cum feceritis

omnis que precepta vobis ſunt adhuc dicite q: ſerui inutiles ſumus. Nunc vero pauper et nudus ſpiritu eſſe poterit/ ⁊ cum propheta dicere. Quia vnicus et pauper ſū ego. Nemo eſt eo ditior. nemo tamen liberior nemo potentior illo qui ſcit ſe et omīa relinquere et ad infimum ſe ponere.

¶ De regia via ſancte crucis. Cpm. xij.

Durus hic multis videtur ſermo. Abnega te metipſū/ tolle crucē tuā et ſequere ieſum. S; multo durius erit audire illud extremum verbum. Diſcedite a me maledicti in ignem eternū Qui enī modo libenter audiunt et ſequuntur v̄bum crucis tunc non timebūt ab auditione mala eterne dānationis. Hoc ſign crucis erit in celo cum dominus ad iudicandū venerit Tunc omnes ſerui crucis qui ſe crucifixo cōformauerunt in vita ad chriſtum accedent iudicem cum magna fiducia. Quid igitur times tollere crucem per quam itur ad regnum. In cruce ſalus/ in cruce vita/ i cruce protectio ab hoſtibus: in cruſe infuſio ſuperne ſuauitatis/ in cruce robur mentis/ in cruce gaudium ſpiritus/ in cruce virtus ſumma/ in cruce perfectio ſanctitatis. Non eſt ſalus anime nec ſpes eterne vite niſi in cruce. Tolle ergo crucem et ſequere ieſum/ et ibis in vitam eternam. Proceſſit ille baiulans ſibi crucem et mortuus eſt pro te in cruce/ et tu etiam portes crucem et mori affectes in cruce/ quia ſi cōmortuus fueris ēt cum illo pariter viues/ et ſi ſocius fueris pene/ ſocius eris et glorie. Ecce in cruce totum conſtat et in moriendo totum iacet/ et nō in alia via ad vitā et ad verā internā pacē niſi via ſctē crucis et q̄tidiane

mortificationis. Ambula vbi vis quere quodcunqꝫ
volueris: et non inuenies altiorem viam ſupra nec
ſecuriorem viā infra niſi viam ſācte crucis. Diſpone
et ordina omnia ſecundū tuū velle et videre et non
inuenies niſi ſemper aliquid pati debere aut ſponte
aut inuite et ita crucem ſemper inuenies. aut tm̄ in
corpe dolorem ſenties: aut in anima ſpiritus tribula
tionem ſuſtinebis. Interdū a deo relinqueris. inter
dū a proximo exercitaberis. et quod amplius ē ſepe
timet ipſi grauis eris nec tū aliquo remedio vl' ſola
tio liberari ſeu alleuiari poteris: ſed donec deus vo
luerit oportet ꝙ ſuſtineas. Uult enī deus vt tribula
tionem cōſolatiōe diſcas pati et vt illi totaliter te
ſubiicias: et humilior ex tribulatione fias nemo ita
cordialiter ſentit paſſionē xp̄i ſicut is cui ꝯtigerit ſi
milia pati. Crux igitur ſemper parata eſt et vbiqꝫ te
expectat. Non potes effugere vbicūqꝫ cucurreris:
qꝛ vbicūqꝫ veneris teip̄m tecū portas et ſemꝑ teip̄ꝫ
inuenies. Conuerte te ſupra: conuerte te infra: con-
uerte te extra et intra: et ī his oībus inuenies cru-
cem et neceſſe eſt te vbicunqꝫ tenere patientiam ſi e
ternā vis habere pacem et ꝑpetuam ꝓmereri coro-
nam. Si libēter crucē portas portabit te et deducet
te ad deſideratū finē vbi. ſ. finis patiendi erit q̄uis
hic nō erit. Si inuite portas onꝰ tibi facies: et teip̄ꝫ
magis grauas et tū oportet vt ſuſtieas. Si abiicis
vnā crucē aliā ꝓculdubio iuenies: et forſitā grauio
rem. Credis euadere quod nullꝰ mortalium potuit
preterire? Quis ſantorum in mūdo ſine cruce et tri
bulatione fuit? Nec enim dn̄s noſter ieſus chriſtus
vna hora ſine dolore paſſiōis fuit q̄diu vixit. Opor

tebat autem xp̄m pati ⁊ reſurgere a mortuis et ita intrare in gloriam ſuam. Et quō tu aliam viā q̄ris q̄ȝ hanc regiam viā que eſt via ſancte crucis. Tota vita chriſti crux fuit ⁊ martyriū et tu tibi queris requiem et gaudiū. Erras erras ſi aliud queris q̄ꝑ pati tribulationes quia tota iſta vita mortalis plena eſt miſerijs ⁊ circūſignata crucibus. Et quanto altius quis in ſpiritu ꝓfecerit/tāto grauiores cruces ſepe inueniet q: exilij ſui pena magis ex amore creſcit. Sed tamen iſte ſic multipliciter afflict⁹ nō eſt ſine leuamine cōſolationis quia fructū magnū ſibi ſentit accreſcere ex ſufferentia ſue crucis. Nam dū ſponte illi ſe ſubijcit/omne onus tribulationis in fiduciam diuine conſolationis cōuertitur. Et quāto caro magis per tribulationeȝ atterit̄. tanto ampli⁹ ſpiritus per internam conſolationē roborat̄. Et nō nunq̄ȝ intātum confortat̄ ex affectu tribulationis ⁊ aduerſitatis ob amorē conformitatis crucis chriſti vt non ſine dolore ⁊ tribulatione eſſe vellet/quoniā tanto te acceptiorē deo credit quanto plura ⁊ grauiora ꝓ eo perferre poterit. Nō eſt illd̄ virt⁹ hominis ſed gratia chriſti qui tanta poteſt ⁊ agit in carne fragili vt quod naturaliter ſemper abhorret ⁊ fugit hoc feruore ſpiritus agrediatur ⁊ diligat. Non eſt ſcd̄m hominē crucē portare crucē amare corp⁹ caſtigare/et ſeruituti ſubijcere/honores fugere cōtumeliam libenter ſuſtinere/ſeip̄m deſpicere et deſpici optare/aduerſa queq̄ȝ cū dānis perpeti et nihil proſperitatis in hoc mundo deſiderare. Si ad teipſum reſpicis/ nihil huiuſmodi ex te poteris/ſed ſi in domino confidis/dabitur tibi fortitudo de celo ⁊

ſubiſcietur ditioni tue mūdus ⁊ caro. Sz nec inimi-
cum dyabolū timebis ſi fueris fide armat⁹ et ieſu
cruce ſignat⁹. Pone ergo te ſicut fidelis ⁊ bon⁹ ſer
uus xp̄i ad portandū viriliter crucē dn̄i tui ꝑ te ex
amore crucifixi. Prepara te ad tolerāda multa ad
uerſa ⁊ varia incōmoda in hac miſeria vita qꝛ ſic te
cū erit vbicūqꝫ fueris/et ſic reuera eū inuenies vbi
cūqꝫ latueris. Opꝫ te ita eſſe et nō eſt remediū eua
dendi a tribulatione malorū et dolore q̄ꝫ vt te pati-
ris. Calicem dn̄i affectanter bibe ſi amic⁹ ei⁹ eſſe ⁊
partē cū eo habere deſideras. Cōſolationes deo et
cōmitte faciat ip̄e cū talib⁹ ſicut ſibi magis placuerit
Tu ꝟo pone te ad ſuſtinēdū tribulatiōes ⁊ reputa
eas maximas cōſolatiōes qꝛ nō ſūt cōdigne paſſiōes
huius tp̄is ad futurā gloriā que reuelabitur i nobis
pmerendam etiā ſi ſol⁹ oēs poſſes ſuſtinere. Qū ad
hoc veneris q̄ tribulatio ſibi dulcis eſt et ſapit pro
xp̄o tūc bn̄ tecū eſſe eſtima qꝛ inueniſti paradiſum i
terra/q̄ꝫdiu pati tibi graue eſt et fugere q̄ris/ tādiu
male habetis et ſequet̄ te vbiqꝫ fuga tribulationis.
Si ponis te ad quod eſſe debes videlicet ad pati ꝫ
duin et moriendū fiet cito melius et pacē inuenies
Etiam ſi raptus fueris in tertiū celū cū paulo non
es propterea ſecuratus de nullo cōtrario ſuſtinēdo
Ego inquit ieſus oſtendam illi quanta oporteat cū
pro noīe meo pati. Pati ergo tibi remanet ſi ieſū di
ligere ⁊ ꝑpetue illi ſeruire placet. Utinā dign⁹ eſſes
pro noīe ieſu aliquid pati q̄ꝫ magna gloria remane-
ret tibi quanta exultatio oībus ſanctis dei quanta
edificatio eſſet ꝓximi. Nā patientiā oēs recōmēdāt
q̄uuis pauci tamē pati velit. Merito deberes libē

modicum pati p̄ chriſto cum multa grauiora patia
ris p̄ mundo. Scias p̄ certo q̄ moriente te oportet
te ducere vitam: ⁊ quanto plus ſibi quiſq̄ morit̄ tanto
deo magis viuere incipit. Nemo aptus eſt ad cōprehē
dendum celeſtia niſi ſe ſubmiſerit ad portandū p̄ chri
ſto aduerſa. Nihil deo acceptius tibi ſalubrius i mū
do iſto q̄ libenter pati pro chriſto. Et eligendum ti
bi eſſet magis optare deberes pro chriſto aduerſa
pati q̄ multis cōſolationibus recreari: quia chriſto
ſimilior eſſes: et oībus ſanctis eius magis cōformior
Non enī ſtat meritū noſtrū ⁊ pfectus ſtatus noſtri
in multis ſuauitatibus et conſolationibus: ſed po
tius in magnis grauitatibus: ⁊ tribulationibus per
ferendis. Si quidez aliquid melius et vtilius ſaluti
hoim q̄ pati fuiſſet: chriſtus vtiq̄ verbo et exemplo
oſtendiſſet. Nam et ſequentes ſe diſcipulos omneſq̄
eū ſequi cupientes manifeſte ad crucem portandam
hortat̄ et dicit. Qui quis vult venire poſt me: abne
get ſemetipm̄ et tollat crucem ſuam et ſequatur me
Omnib⁹ ergo perlectis et ſecuritatis ſit iſta finalis
concluſio. Quoniam per multas tribulatiōes opor
tet nos intrare in regnum dei.

¶ Explicit liber ſecundus.

¶ Incipit liber tertius de interna xp̄i locutione ad
animam fidelem. Capitulum primum.

Audiam quid loquatur in me domin⁹
de⁹. Beata anima que dūz i ſe loquen
tem audit ⁊ de ore eius verbū cōſola
tiōis accipit Beate aures que venas
diuini ſuſurri ſuſcipiūt ⁊ de mūdo hu
ius ſuſurratiōib⁹ nihil aduertūt. Btē